



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus VII. Sancti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

debere esse impedimentum, quod accessum salutis impediatur. Sylveira in Matth. hic.

Si tentationi in corde nascenti festinè non resistitur; hæc eadem, quæ nutritur, morâ roboratur. S. Gregor. mor. l. 21. 7.

Si illi, qui in mari navigant, sæviente tempestate merces negligunt; & propriis manibus onera in mare projiciunt, & fortunis vitam anteponunt; ac, nè navis pondere oppressa submergatur, eam sublevant; & pretiosissima quæque vel in profundum jaciunt: cur non etiam nos, propter vitam præstantiorem, ea despiciamus, quæ animam in profundum detrahunt? cur idem non potest Dei timor, quod potest timor maris? S. Nilus lib. affect.

Miscellanea.

Ingrederere tu, & omnis domus tua &c.
Gen. 7. 1. Nam, licet multum à virtute iusti illius abfuerint, alieni tamen erant à gravioribus sui sæculi peccatis. Alias quoque ob duas causas salute potiti sunt. Una in honorem iusti: consuetudo enim misericordis Dei est, honorem hunc dare servis suis; ut propter eos salventur & alii &c. S. Chrysof. hom. 24. in Gen.

Novit Dominus viam iustorum, & iter impiorum peribit. Pf. 1. 6. Quia Dei agnoscere, servare est; Dei agnoscere, custodire est; non agnoscere, damnare est. Sanct. August. in Pf. 141.

TITULUS VI. SALUTATIONES.

H *Eva.* Gen. 4. 1. Sept. *vita.* Ex Hebræo have, id est, *vive*; quæ vox est salutantis. Pro have Latini dicunt ave, Cornelius hic.

Et factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth &c. Luc. 1. 41. Charitas proximi salutationibus, & aliis charitativis locutionibus, semper fovenda est. Unde angelis salutavit Mariam; Maria salutavit Elisabeth; Filius Mariæ salutavit Marias euntes de sepulchro, dicens illis: *avete* Matth. 28. 9. Væ eis, qui, propter odium, salutationem proximo negant. Væ & illis, qui dolose proximum salutant; sicut Judas, cum dixit: *ave Rabbi.* Sanct. Bonaventura spec. B. V. c. 4.

In orientali Ecclesia, ubi quis per dies Paschales alteri sit obvisus, pro salutatione dicit: Christus surrexit à mortuis; salutatus responderet verè surrexit Dominus. Isidor. Clar. Or. 21. lib. 1.

Totâ Paschali septimanâ æquum foret, hoc pacto invicem salutaremur: surrexit Dominus; & salutatus responderet: Deo gratias. Beletus rat. offic. div. c. 116.

Quorundam salutato Sanctorum hæc fuit, ut, cum sibi occurrerent, prior salutando diceret: moriendum est; alter responderet: nescimus quando. Cornelius in Gen. 3. 3.

TITULUS VII. SANCTI.

§. I.

Etymon.

S *anctum sanctorum est.* Levit. 6. 25. Sanctum à sancto venit. Sancire enim propriè est consecrare aliquid sub sanguine hostiæ: unde sanctum dicitur, quasi sanguine consecratum. Cornelius hic.

Sanctus Psalm. 10. 5. Id est, sanguine tinctus. Hugo Card. in Psalm. 10.

Cogitaverunt adversus sanctos tuos. Psalm. 82. 4. Symmachus, pro *sanctis tuis contra occultum tuum.* Aquila: *contra absconditum.* Hebr. *adversus absconditos tuos.* Rectè Fideles, Dei dicuntur absconditi, qui sub umbra alarum suarum protegit eos.

Et quia *vita nostra abscondita est.*

Coloss. 3. 3. Bellarminus hic.

§. II.

Figure, & Symbola.

Ex Veteri.

P *lantaverat Dominus DEUS Paradisum voluptatis.* Gen. 2. 8. Est Paradisus vita beatorum: quatuor flumina, quatuor virtutes. S. Isidorus hic.

Numera stellas - sic erit semen tuum. Gen. 15. 5. Isidorus Pelus. l. 3. ep. 296. Notat posteros Abrahæ hic comparari stellis cæli: quia ex iis alii futuri erant sapientes, & sancti, cælestes, sublimes, & illustres; instar stellarum cæli.

Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus. Psalm. 101. 15. Lapidés Sion, sunt Fideles militantis Ecclesiæ; firmi, & stabiles, in Christiana Fide: & nihilominus spe solidi, & persistentes, in charitate. Hi nimirum placuerunt servis tuis, hoc est, sanctis Ecclesiæ triumphantis. Gerfon hic.

Gggg 3

F. usq. à

Frustrà jacitur rete ante oculos pennatorum. Prov. 1. 17. Qui sunt isti pennati? Sancti, & electi viri; qui habent pennas fidei, spei, & charitatis, ceterarumque virtutum; quibus ad cœlestia contemplanda volant. Salomus hic.

Indica mihi - ubi cubes in meridie? Cant. 1. 6. Sanct. August. ep. 48. per meridiem accipit iustos; in quibus luce fulgentibus, & charitate ferventibus, quasi in meridie, requiescit.

Quæ est ista, quæ ascendit per desertum? Cant. 3. 6. Arab. ex deserto. Angeli, inquit Nysenus, Theodoretus, Ambros. &c. Et homines, talem animam cernentes, quasi admirantes dicunt: quænam est ista, quam strenua, quam fortis! quæ, cum descendere deberet, eò quòd ex Adæ terra compacta est; originisque pondere per ima scelerum præcipientem se dedit; nunc vi novâ, planeque mirâ, in virtutis ardua conscendit? ascendit, inquam, de deserto Mundi, ubi solitudo est virtutis, & sanctitatis. *Sicut virgula fumi.* Cassiodorus, & Sanct. Gregor. anima sancta vocatur virgula fumi: quia gracilis est, & delicata, disciplinis Spiritus Sancti attenuata; subtilis, non habens grossitudinem carnalium desideriorum. Cornelius hic.

Cum universis lignis Libani. Cant. 4. 14. Cassiodorus: ligna Libani, pulchritudine, proceritate, & robore, præminent: ideoque sanctos Doctores, & perfectos quosque in Ecclesia, significant. Cornelius hic.

Coma ejus sicut elata palmarum. Cant. 5. 11. Comæ capitis Dilecti catervæ sunt Sanctorum, quæ Deo fidei famulatu adherent. V. Beda hic. l. 4.

Sancti comparantur stellis. 1. Propter numerum. Psalm. 146. 4. *Qui numerat multitudinem stellarum.* 2. Propter situm. Philipp. 3. 20. *Nostra conversatio in cælis est.* 3. Propter gradum. 1. Cor. 25. 41. *Stella à stella differt in claritate.* 4. Propter splendoris rutilum. 5. Propter ordinatum motum. Judic. 5. 20. *Stella manentes in ordine, & cursu suo.* Sanct. Thomas Aqu. in II. 14.

Olivam uberem - vocavit Dominus nomen tuum. Jerem. 11. 16. Sanctus dicitur oliva, propter pinguedinem; in quo devotio, Rom. 11. 17. *Socius radicis, & pinguedinis olivæ, factus es.* Propter olei nitorem; in quo contemplatio. Zach. 4. 14. *Isti sunt duo filii olei, qui assistunt Dominatori universæ terræ.* Propter foliorum virorem; in quo virtus est mentis. Gen. 8. *reversa est columba ad vesperam, portans ramos olivæ virentibus foliis.* Propter fertilitatem; in quo abundantia bonorum operum. Psalm. 51. 10. *Ego autem sicut oliva fructifera.* Propter pulchritudinem; in quo Sanctorum gloria. Eccl. 24. 19. *Quasi oliva speciosa in campis.* Ol. 14. 7. *erit, quasi oliva, gloria ejus.* S. Thom. Aqu. hic.

Capilli capitis ejus, quasi lana munda. Dan. 7. 9. Capillos ejus capitis sanctos ange-

los, seu universos electos, typicè accipi oportet. Sanct. Anselmus lib. de vestim. membr. &c. Dei attributis.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Vidimus stellam ejus. Matth. 2. 2. Quicumque in Ecclesia piè vivit, & castè; qui ea, quæ sursum sunt, sapit, non quæ super terram. Coloss. 3. 1. Cœlestis quodammodo instar est luminis. Et dum ipse sanctæ vitæ nitorem servat, multis viam ad Dominum, quasi stella, demonstrat. S. Leo. l. 3. in Epiph.

Pater noster, quæ es in cælis. Matth. 6. 9. Id est, in sanctis, & iustis: non enim spatium locorum continetur Deus. S. August. de ferm. Dom. in monte l. 2. c. 9.

Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra. ibid. 10. Quid per cœlos, nisi iustos? Et quid per terram, nisi peccatores, accipimus? Videlicet voluntas nostri conditoris, sicut in omnibus iustis perficitur, ita & in nobis quoque peccatoribus, impletur. S. Gregor. mor. l. 15. 19.

Sancti sunt tanquam stellæ in firmamento Ecclesiæ; quæ noctem hujus sæculi sanctitate suâ discutiunt, & illustrant. S. Gregor. præfat. in Job.

Poma sunt viri iusti; in quibus est sapor contemplationis, color sanctitatis, odor bonæ operationis. Sanct. Antonius Pad. Dom. 4. Epiph.

§. III.

Sanctum esse, vera laus.

Magnificasti super omne, nomen sanctum tuum. Psalm. 137. 2. Cur non dixit, nomen tuum Deus? nomen tuum omnipotens, nomen tuum misericors? sed nomen sanctum tuum? Dion. Areop. l. de div. nom. c. 13. nomen sanctum tuum, tanquam omnium nominum pretiosissimum. Sylveira in Luc. 1. 9. 5.

Sanctus! sanctus! sanctus! Dominus Deus exercituum! II. 6. 3. Clamant Seraphim. Sed cur sanctitatem primò laudant; & hoc non semel, sed ter; cum tamen semel tantum Dominum DEUM nominent? Sanct. Ambros. l. 3. de Spir. Sanct. c. 18. illam solam prædicant sanctitatem Cherubim, & Seraphim, indefessis vocibus laudant, & dicunt: Sanctus &c. Dominus DEUS Sabaoth. Nos quoque nihil pretiosius invenimus, quò DEUM prædicare possimus; nisi ut sanctum appellemus: quodlibet aliud inferius est Deò, inferius & Domino. Idem hic. Ergo nihil aliud videntur in tanta majestate Seraphini, quod mirarentur, & laudarent; quàm solam sanctitatem? non poterant prædicare sapientiam, omnipotentiam? &c. Respondet S. Ambros. ante cit: nihil pretiosius &c. Did. Niss. D. 12. Pent. §. 1.

Erant iusti ambo ante Deum. Luc. 1. 6. Iustum esse ante Deum, id demum solidè, perfectè.

fectaque laudis est. Solus namque Deus est, qui hominum corda exactè perspecta habet. Etenim, secundum externam faciem, multi coram hominibus habentur iusti; qui tamen, propter latens in pectore venenum, non sunt ejusmodi. S. Titus Boltr. hic.

Ideoque & quod nasceretur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Luc. 1. 35. Quare prius dicit angelus de Christo, quod erit *sanctus*? quam quod Filius Dei vocabitur? Quia tam excellens est sanctitas; ut etiam ab ipsa maximè Dei Filius magnificetur. Sylveira hic q. 50.

Nihil aliud est quilibet Sanctus, nisi Evangelium vivum. Et Evangelica institutio perfectius videtur in sancto, quam legitur in libro. S. Thom. Vill. l. 2. D. 2. Quadr.

§. IV.

Sancti à Deo honorantur, protegentur.

ET ait. Gen. 8. 21. Hebr. *dixit ad cor suum.* Delrio, id est, ad Noë, qui erat corculum Dei. Cornelius hic.

Dixit Dominus ad Abram: egredere de terra tua &c. Gen. 12. 1. Eò respectu Deus Abrahamum è Charrisin Chanaanem, è Chanaanem in Egyptum, manu duxisse, multisque hominibus ostentasse, visus est; ut Egyptiis patefaceret tantum viri pietatem, & religionem. Theodoretus hic. q. 76.

Ece vir Dei. 1. Reg. 9. 6. In scriptura dicitur esse Dei, quidquid habet in genere suo excellentem aliquam commendationem. Sic Gen. 32. 2. *Dicuntur castra Dei.* 1. Par. 12. 22. *exercitus Dei.* Ezech. 1. 1. *visiones Dei.* Psalm. 79. 11. *cedri Dei.* Psalm. 35. 7. *montes Dei.* 1. Thess. 4. 15. *tuba Dei &c.* Cum enim Hebraei superlativis careant, defectum, adjecto nomine Dei, suppleant. Sed maximè in ordine morali dicebantur homines Dei, vel viri Dei; qui ad Deum proximè accedere videbantur: vel quia, quod est Dei proprium, divinantur: vel quia sanctitate vitæ ipsam divinitatem exprimebant: vel quia totos se in Dei obsequium mancipabant. Homines, seu viri Dei, vocantur Moyses Jos. 14. 6. David 2. Par. 8. 14. Elias. 3. Reg. 17. 18. 4. Reg. 1. 9. Gen. 23. 6.

Princeps Dei es apud nos. Tu autem homo Dei hac fuge. 1. Tim. 6. 11. Notat Theodoretus, & Chrysof. in scriptura viros eximie sanctos, Deoque familiares, vocari *homines Dei*: quod imaginem Dei, ad quam creati sunt, puram à peccatis conferent. Cornelius hic. 1. Tim. &c.

Novit Dominus dies immaculorum. Psalm. 36. 18. Id est, multam curam gerit Deus temporis, in quo viri pii degunt; & tanquam rem sacram veneratur. Tantæ dignitatis, & excellentiæ, sunt apud DEUM sancti viri; ut vel temporibus ipsis, quibus vixerunt, summam adhibeat reverentiam. Pinna Ethol. 122.

Sicut divisiones aquarum; ita cor regis in manu Domini. Prov. 21. 1. Cor

regis, id est, cor iusti: quia quod Lucas ait c. 10. 24. *multi Prophetae, & reges, voluerunt videre, quæ vos videtis.* Matth. 13. 17. dicit: *multi Prophetae & iusti.* Ubi significatur, iustos esse reges. Diez conc. 2. in festo SS. Innocent.

Manus illius - plena hyacinthis. Cant. 5. 4. Quia sanctos, & electos suos, in manibus habet; illos protegit, adjuvat; & nè peccent, firmiter tenet. Frequenter enim scriptura dicit, iustos esse in manibus Dei. Sap. 3. 1. H. 49. 16. ac singulos esse velut annulos, in quibus gemmæ pretiosissimæ sunt inclusæ. Jerem. 22. 24. *Si fuerit Fecbonias annulus in manu dextera mea.*

In capite ejus diademata multa. Apoc. 19. 12. Imò singulæ virtutes sanctorum sunt corona Christi. Figura Zach. 6. 11. *Facies coronas, & pones in capite JESU.* Philipp. 4. 1. *gaudium meum, & corna mea.* de Ponte in Cant. 3. Exh. 38. §. 1.

Omnibus, & præcipuè sanctis, appropinquat Deus; quomodo si vestimentum adhæreat cuti. S. Hieron. in Jerem. 23.

§. V.

Sancti amantur, honorantur, ab hominibus.

RECTI diligunt te. Cant. 1. 3. q. d. licet non desint, qui malè te carpunt; id tibi tamen solatii, quod multa, bonæque discipulæ, tuam probant vivendi rationem. S. Bernardus l. 24. in Cant. propter murmurantes, & blasphemantes, dicitur ab his, quæ bonæ, quæ simplices, quæ humiles sunt; ab his, inquam, dicitur consolandi gratiâ: *recti diligunt te.* Velloso in Judith. 7.

Sanctorum non tantum verba, sed & ipsi aspectus, spiritali gratiâ pleni sunt. S. Chrysof. hom. 3. ad pop. Antioch. Nemo veniebat ad urbem (Venetias) qui non vel in primis spectaculis cuperet hunc Patrem videre. Boll. 8. Joan. de S. Laurentio Justin.

S. Benedictus Totilam, ipsum accedentem, timore sancti in terram prostratum, erigit. Boll. 21. Martii.

§. VI.

Sancti sunt patroni, intercessores.

Joseph primâ vice fratribus, sinè Benjaminò venientibus, durius locutus est. Gen. 42. 7. illò comitatis benignius. Gen. 43. 16. &c.

Accesit ad eum Centurio. Matth. 8. 5. Priusquam rogaret Centurio, prius amicos misit rogaturos. Patroni nobis necessarij. Escobar tr. Coll. Chr. l. 11. sect. 1. Obs. 5.

Si Moysen, & Aaron, & Samuelem, haberec hodie Ecclesia; cum invocarent, exaudirentur; & orantibus Job, & Noë, & Daniele; populo parceretur. Sancti. Cyprianus de jejun. & tentationib. Christi.

Aquæductus regalis indulgentiæ, aulicorum preces, Cassiodorus l. 3. var.

§. VII.

§. VII.

Sanctorum cultus, & invocatio.

Domine omnipotens - audi nunc orationem mortuorum Israel, & filiorum ipsorum, qui peccaverunt ante te. Baruch. 3. 4. Ergo etiam mortui orant? utique: sed ij, qui vivunt in caelo. Drexelis Trism. l. 2. c. 2.

Qua est spes nostra &c. 1. Theff. 2. 19. Nota contra Novantes: Si S. Paulus hic Thessalonicenses, sine ulla Dei aut Christi, injuriâ, vocat suam spem, suum gaudium, imò suam coronam gloria; cur non possimus vocare, & invocare B. Virginem, quæ Mater Dei est, spem nostram, Matrem misericordiae, vitam, dulcedinem, nostram? Cornelius hic.

Gratia vobis, & pax &c. Et à septem spiritibus &c. Apoc. 1. 5. Asseritur hic invocatio Sanctorum. Non cum Joannes ait: *gratia vobis à septem spiritibus*; hóc ipso rogat hos septem angelos; ut gratiam illis à Deo impetrent. Ergo eos invocat. Cornelius hic.

Nullus homo est, qui aliquem specialem sanctum speciali devotione habere non deberet; cui se quotidie commendaret; & pro cuius honore aliquid speciale faceret. S. Bonav. l. 97.

§. IIX.

Sanctificare.

Sanctificetur nomen tuum. Matth. 6. 9. A quo Deus sanctificatur, qui ipse sanctificat?

sed quia ipse dixit: *sancti estote; quoniam ego sanctus sum*; id petimus, & rogamus: ut, qui in Baptismo sanctificati sumus, in eo, quod esse cepimus, perseveremus. S. Cyprianus lib. de Orat. Dom. Petimus, ut nomen Dei actu nostrò sanctificetur in nobis: nobis enim bene agentibus benedicitur nomen DEI. S. Chrysol. l. 71.

Tolli de gentibus, & congregari de universis terris Credentes in Christum, & baptizari eos in remissionem peccatorum; hoc sanctificari est nomen tuum, ò DEUS Pater omnium! quia sic sancti fiunt hi, super quos invocatur nomen tuum. Etenim sanctificatio hæc, revera nominis tui sanctificatio est: quia non tam ipsis datur, quam tuo nomini; juxta illud Psalm. 113. 1. *non nobis Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam.* Rupertus l. 5, in Matth. Pro eo, quod est, glorificetur, hoc est: fac vitam nostram in tuam esse gloriam. Nam sicut nomen DEI propter malos blasphematur; ita propter eos, qui bonam agent vitam, glorificatur. Theophylactus in Luc. 11. Sicut homines virtuosi DEUM sanctificant, dum sancte viventes DEUM, cui ita deserviunt, Sanctum esse demonstrant, ejusque sanctitati fideliter attestantur. Dion. Carthus, in Luc. 11.

TITULUS VIII.

SANCTITAS.

§. I.

In quo consistat.

Sancti, id est, mundi, estote. Levit. 11. 44. Sic sanctus pro mundo capitur Deut. 23. 14. *Et sint castra tua sancta*, id est, munda. Cornelius hic.

Dixitque Josue ad populum: sanctificamini. Jos. 3. 5. Hebr. *parate vos.* Septuag. *purificamini in crastinum.*

Conjungere Deo. Eccl. 2. 3. Græc. *conglutinare Deo.* Omnis sanctitas sita est in amore, & conjunctione cum Deo. Quare, sicut Deus extremè odit peccatum, & tentationem; sic & is, qui Deo conjunctus est: sanctitas enim est puritas. Sicut autem impuritas nascitur ex contactu inferiorum (ut cum facies, aut vestis, luto aspergitur) vel cum anima per affectum inferioribus inordinatè inhæret: ita puritas oritur ex contactu superiorum; cum affectus ad sublimiora, & nobiliora, assurgit, & iis inhæret. Supremum autem omnium, & simplicissimum, ac purissimum, est Deus. Unde summa puritas consistit in adhæione cum Deo. Cornelius hic. Sanctitas, est bonitas moralis: & est perfectio morum in actu, vel habitu; quæ etiam in scriptura *justitia* vocari solet. Denique ratio sanctitatis consistit in puritate, alienâ ab omni conta-

gione, & labe, peccati; ut docet S. Dion. Areop. c. 12. de div. nom. Lessius de perfect. div. Sanctus, l. 8. c. 1.

Tantum quisque sanctus est, quanta ejus ad Deum voluntas magna est. Blossius, sacellò an. fid. §. 4. Sanctum, idem est, quod non terrenum; unde sancti, qui in caelo sunt, nullum habent affectum terrenum, S. Thom. Aqu. Opusc. 10, c. 4.

§. II.

Sanctitatem præfer, junge sapientiæ.

Apparuit autem Dominus Salomoni per somnium nocte. 3 Reg. 3. 5. Quares: cur hæc visio Salomoni nocte exhibita? Symbolica causa fuit: quia Deus, licet in se sit lux infinita; mens tamen creata, præsertim humana, ad eam caligat.

Quare Deus sanctis, præsertim veteris testamenti, ut Abrahæ, Moyli, Jacobo, apparebat noctu vel in caligine. Rupertus carpit Salomonem, quòd sapientiam, non sanctitatem, petierit. Tamen in eo reprehensibilis est, quòd datâ sibi optione, tam pronâ ad dandum largitate Domini, bonum illud, quod verum, & summum est, non postulavit. Verum hoc bonum includitur in sapientiâ, quam postulavit. Unde addit: *ut sciam, quid acceptum sit apud te.* Sap. 9. 10. Sapientia enim in libris Sapientibus præcipue practi-